

Christoph Martin Burchard

Programma, Quo Rector Academiae Rostochiensis Christoph. Martin. Burchardus ... Ad Justa Funebria Matronae ... Margarethae Agnesae De Weidenkopf, Viri ... Dn. Gothofredi Weissii, Theol. Doct. Et Superintendentis apud Luneburgenses longe Celeberrimi Relictae Viduae, Die XVIII. Decembr. Anni M DCC XXVI. persolvenda Cujusvis Ordinis Proceres ac Cives Academicos humaniter ac officiose invitat

Rostochii: Typis Joh. Jac. Adleri, [1726]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1799314448>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Protokoll-Programme,
meist Festsätze in dortigen bürgerl. Familien burs.

(Zinsverträge in nobilitierten Familien:


Nettelbladt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann
u. A.

82 Stücke

Mk1b Gen - 40
2/3 II

9/1
Hain.
1833.





Handwritten numbers on the right edge of the page, including 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30.


Leichenprogramme, alphabetisch geordnet
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Elsabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Panben. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Prehn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoeppfer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Jöppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.
72. Weiß, Gottfried. 1697.
73. Wetken, Johann Georg. 1716.
74. Wilde, Joachim. 1737.
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.
81. Zaidler, Johannes. 1727.
82. Zinck, Johannes. 1732.



PROGRAMMA,

^{Quo}
RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
**CHRISTOPH. MARTIN.
BURCHARDUS,**

Med. Doct. & Prof. P. O. Facultatis suæ
Decanus,

^{AD}
JUSTA FUNEBRIA
*MATRONÆ ADMODUM VENERANDÆ,
PRÆNOBILISSIMÆ*

**MARGARETHÆ
AGNESÆ**

^{DE}
**WEIDENKOPF,
VIRI**

Summe Reverendi, Excellentissimi, Amplissimique

**DN. GOTHOFREDI
WEISSII,**

*Theol. Doct. & Superintendentis apud Luneburgenses
longe Celeberrimi*


RELICTÆ VIDUÆ,

Die XVIII. Decembr. Anni MDCCXXVI.

^{perfolvenda}
**CUJUSVIS ORDINIS PROCERES
ac CIVES ACADEMICOS**

humaniter ac officiose invitat.

ROSTOCHII, Typis JOH. JAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.



Ariora equidem, aut certe minus illustria occurrunt Virtutum in Sexu Sequiori exempla; sive quod ipsum vitæ genus, quod fœminas privatis parietibus ac domesticis curis adstringit, impedimento sit, ne in publicum divulgentur, quæ ab ipsis peraguntur laude digna; sive quod hic Sexus præ Virili imbecillis, & affectuum violentiæ aut inconstantia magis obnoxius, justam mediocritatem rarissime diu valeat servare. Quo magis sane ab oblivione vindicanda est Matronarum memoria, quæ constanti Virtutis cultu præ ceteris emicue. Præterquam enim, quod hoc pietatis ac reverentiæ vectigal omnibus merito debemus, quæ vitæ ac morum honestate supra vulgus se elevarunt, nihil etiam est, quod magis instruat, & ad imitationem incitet, aut æmulatione invitet, quam recensio exemplorum, & digna eorum commemoratio. Certe cujus exuvias lugubri comitatu hodie efferimus, **MARGARETA AGNESA WEISIA**, nata de **WEIDENKOPFF**, in vita sua Exemplum præbuit omnibus bonis imitandum, & propterea tradendum æternitati; imprimis cum in ipsa ejus morte quoque inveniamus, quæ documento sint posteris. Repentina enim illa fuit, ita ut vix à morbo correpta intra paucas horas decesserit. Quo magis ergo imitanda est ab omnibus haud fucatæ pietatis Matrona, ne nimis fero resipiscamus, sed cum Virginibus prudentioribus paratas habeamus Lampades, ut cum forte subito, nondum expectatus adveniat Sponsus Cœlestis, parati simus eum excipere, ejusque nutum sequi. Non equidem præmatura morte extincta est Venerabilis Fœmina, quippe ad Justum senium devecata: angustum tamen illud spatium, quod inter primum morbi accessum, & vitæ exitum intercessit, argumento nobis esse potest, quam caducæ sint mortalium res, & mortis meditationem mature esse instituendam; est enim via lethi omnibus calcanda, & plures ad tumbam ac cœmeterium ducit, priusquam Mortis prænuntium, morbos puto, sunt experti. Hoc argumentum, **CIVES OPTIMI**, uberrimam nobis scribendi suppeditat occasionem, modo Officii ratio, & hominum quorundam licentia, aut aliorum plus quam barbara feritas nobis non denegarent dulce illud ocium, in pias excurrere meditationes, nec istam animi tranquillitatem eriperent, quam

quam mortis seria contemplatio postulat. Accingamus nos tamen, & saltem per aliquot momenta nos expediamus ex Romuli turba, ut Morti, quæ nos sibi à primo vitæ exordio jam vindicat, ad exemplum Beatæ nostræ Defunctæ, rite obviam ire, mature discamus. Non equidem ignoro, eos, qui deliciis hujus mundi immerfi hærent, rarissime cogitare, se mortales esse, aut, si forte mortem insequentem respiciant, non sine horrore id agere, cum eam tanquam omnium rerum terribilissimam sibi imaginentur. Sed qui pacato magis animo Mortem contemplatur, eam tanquam finem omnium miseriarum, & portum agnoscit, qui inter Syrtes ac brevia hujus mundi navigantibus securam pollicetur stationem; aut potius tanquam portam, quæ aditum nobis aperit, ad beatas sedes, ad æternam felicitatem, nullis temporum injuriis unquam turbendam. Miranda ergo quorundam vecordia, qui cum Christianos se profiteantur, non tamen vel commemorationem Mortis sine horrore perferunt, ipsis Ethnicis deteriores, quorum sane non pauci, solo rationis lumine instructi, fatalem horam non pertimescendam, sed expetendam, imo frequenter præmeditandam docuerunt. Cedro ac marmore digna sunt, quæ hinc inde de Mortis contemplatione in profanis Autoribus leguntur, non sine rubore à nobis Christianis perpendenda, nisi quis penitus occalluerit, aut animum voluptatibus Mundanis habeat quasi fascinatam. In Scenam prodeat *Seneca*, qui Libro VI. Qv. Nat. ubi de terræ motu agit, intrepidum erga quævis pericula animum dignè profitetur. *Ingeni animo, inquit. Mors provocanda est, sive nos æquo vastoque impetu aggreditur, sive quotidiano & vulgari exitu; nihil refert, quam minax veniat, quantumque sit, quod in nos trahat, quod à nobis perit, minimum est. - - - Quid aliud debeo, quam exeuntem (Animam) hortari, & cum bonis omnibus emittere? Vade fortiter, vade feliciter. Nihil dubitaveris (Lucili) reddere. Non de re, sed de tempore est quæstio. Facis quod quandoque faciendum est. Nec rogaveris, nec timueris, nec te velut in aliquod malum exiturum, tuleris retro. Rerum Natura te, quæ genuit, expectat, & locus melior ac tutior. - - - Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: Moriendum est. Quando? Quid Tua? Mors Naturæ Lex est; mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium est. Optabit illam quisquis timet. Omnibus omissis, hoc unum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides; effice illam Tibi cogitatione multa familiarem: ut si ita tulerit, possis illi vel obviam exire. Non permittit præsens institutum, plura huc accumulare: sufficiant hæc, ut suum errorem, aut effeminatum animum agnoscant, qui, cum Christianos se dicant, ad Mortis tamen commemorationem perhorrescunt. Indignum sane id nomini Christiano, postquam Pagani, qui nullam certam spem salutis habebant, tot documenta animi intrepidi edidere, quo mortem vel expectarunt, vel provocarunt ultro. Certe *Plinius Major*, qui Lib. VII. cap. 55. aperte immortalitatem Animæ negans, hanc opinionem ad commenta & puerilia deliramenta relegaverat, non tamen Lib. XXVIII. Cap. I. asserere, dubitat, ex omnibus bonis, quæ homini tribuerit Natura, nullum melius esse tempestitiva morte. Persvasum namque habebant Ethnicis, si nihil felicitatis post mortem sperandum, non tamen quicquam mali bonis esse metuendum; Quamdiu enim in hac miseriarum valle oberramus, dolores, ægritudines, egestatem, odia, persecutiones, aut patiendas, aut metuendas esse; Solam Mortem ab hisce malis nos liberare, & nos in eundem statum vindicare, qui fuerat ante nativitatem, Omnibus enim, à suprema die eadem, quæ ante primum: nec magis à*

morte sensus ullus aut Corpori aut Animæ; quam ante natalem. Ut idem Plinius scribit, loco supra citato. Quo magis certe vituperanda illorum, qui Christianos se profitentur, pusillanimitas dicam, an desperatio, qui cum habeant certa & infallibilia documenta æternæ beatitudinis, & hæredes sint Regni cœlorum, cujus per Mortem, quasi per Portam, aditum adipiscuntur, & statim ejus fiunt participes, nihilominus quoties à morbo graviter corripuntur, summam animi fluctuationem, qua mortem instantem metuunt & averfantur, non tantum gestibus, sed & ipsa voce produnt; Imo non pauci, ne ipsum quidem Verbi Divini Ministrum æquo animo admittunt; quasi mortis horam eo ditius differre possint, quo longius Confessionarius ab accessu arceatur. Hæc quorundam desperatio sæpe plus negotii Medicis affert, quam ipse Morbus; Magis certe periclitantur, & citius morti in prædam cedunt, qui iusta animi tranquillitate eam exspectare nesciunt. Est autem hæc mentis consternatio, qua mortem è longinquo advenientem aliqui metuunt, aut instantem evitare conantur, certissimum indicium animi, deliciis aut cupiditatibus carnalibus nimium immerfi, ita ut summum bonum in istis sibi vel fingat, vel speret in futurum; & qui propterea incapax existit, ullam dulcedinem in contemplationibus spiritualibus degustare. Hinc tales vivere exoptant, etiam si miserrime vivendum ipsis sit; non detrectant artus detruncandos præbere, nec ferri aciem, nec ignis truculentiam reformidant, modo vitam, instar prædæ, mutilato corpore & membrorum jactura redimere possint. Sed ut Divinum Numen, pro summa in mortales clementia, variis mediis utitur, ut eos à pernicie præservet, & oves aberrantes in viam reducat, sic morbi longitudo, perpetui cruciatus, aut ipsa remediorum sævities, nonnunquam omnium potentissima incitamenta sunt, quibus animus invitatur, aut rapido frustra speraverat felicitatem, ex futura ac cœlesti vita sibi polliceatur. Quo magis enim miserum redditur corpus nostrum, & ad dissolutionem pronum, eo magis à compedibus liberatur, & sui juris redditur spiritus, intus habitans, ut sui respiciat originem, & cogitatione, ac fidei alis se ad altiora elevans, æthereas perat sedes.

Sed non omnibus hæc divinæ indulgentiæ benignitas contingit, ut morbi violentia ac diuturnitate ad beatam mortem præparentur: aut inviti quasi pertrahantur. Quotquot enim sunt, qui subitanea morte abripiuntur, antequam Mortis experiantur causas? quot millia in belli discrimine pereunt, aut hauriuntur naufragio? alii sub ædium ruinis, cum terræ motibus conquassata tecta ruunt, sepeliuntur vivi; aut in vastam voraginem dehiscente tellure, absorbentur. Multi secum mortis subitanæ causas circumferunt, & in sinu gerunt inscii, ita ut attoniti intereant, aut strangulati suffocentur. Sunt qui ex rebus, per se innoxii, aut ex ipsis alimentis, in vitæ conservationem à Natura concessis, vitæ patiuntur jacturam: Sic Anacreon Poëta uvæ passæ acino extinctus est; Pilo, cum lacte hausto, strangulatus Fabius Prætor; Frusto carnis bubulæ, in Larynge hærentis, alius exanimatus; quorum plura apud Schenckium, aliosque observationum Scriptores exempla legi possunt. Itaque *Mors ubique præsto est, & undique occurrit; nihilque est tam exiguum, quod non in perniciem generis humani valeat*, ut Seneca testatur. Cum itaque adeo dubius sit vitæ exitus, nec quisquam ejus terminum, aut mortis genus, in potestate habeat, allaborandum nobis omnibus mature, ut DEO reddere possimus, depositum illud cœli, meliorem nostri

portio-

portionem. Romanorum Imperator, AUGUSTUS. *εὐθανασία* sibi ac suis precabatur, quoties audisset, aliquem cito vita defunctum: Qui quamvis respexerit potissimum ad circumstantias naturales, ac molestias, quæ morientes, & diutino morbo decumbentes, comitari solent, in exemplum tamen adduci meretur, ut ab eo discamus, pio ac devoto animo *εὐθανασία* à Summo Numine precari: Est enim meditatio Mortis præcipuum incitamentum, quod nos ad veram Sapientiam ducit: unde Regius Propheta DEum implorat, ut Animo nostro *memoriam mortalitatis impressam servare velit, quo sapere discamus.* Certe qui Mortis horam meditatatur, & semper, quasi in statione paratus, eam expectat, is non facile quicquam fuscipiet aut aggredietur, quod rectæ rationi, conscientiæ, ac præceptis Divinis adversatur: Contra vero isti, qui nunquam reminiscuntur, se morti propius accedere, sed ita vitam instituunt, quasi nunquam morituri, ut necessario à recta Semita, à vera Sapientia aberrant, sic stolidi ac stulti in Sacra Scriptura vocantur. Cum enim natura sumus ad pravitatem proclives, Affectuum tyrannidi eo magis obnoxii, quo magis ista sub specie grati nobis imponit, hinc sola Mortis repræsentatio satis efficax est, ut mature resipiscamus, & objicem ponamus nostris cupiditatibus, quæ nos alias in devia ducunt. Mature itaque meditatio Mortis instituenda, & quidem frequenter, quotidie, ut mature desvescamus pravitati Cordis nostri indulgere; ut quotidie, quasi emigraturi, cogitemus, quæ ad hoc iter rite & expedite peragendum relinquenda sint impedimenta, quænam contra sine damno negligi nequeant. Nunquam imparatum inveniet fatalis Hora, sive ex improvise, sive lento pede accesserit, qui quotidie ipsi occurrere parat; nec ad ejus adventum trepidabit; quisquis eam longa meditatione sibi fecit familiarem. Hoc itaque est vere sapere, si contemnere discamus divitias, honores, famam, necessitudines, Parentes, ac denique Liberos: hæc enim omnia relinquenda sunt istis, qui spe ac voto cœlestia dona præcipiunt: Aggravant hæc animam nostram, ut quasi sub sarcinarum mole succumbat, nec in altum eniti possit. Prævit nobis in hac Sapientiæ parte, quam Salvator noster, & ipsius discipuli tantopere commendant, WEISIA nostra, & animum per tot annos ita præparavit, ut omnia ista, quæ plerosque homines quasi captivos detinent, non tantum negligere, sed etiam contemnere posset. Hinc quamvis iis, quæ ad felicitatem mortalium facere videntur, lauta re familiari, liberis, ac cognatis, abunde gauderet, non tamen, cum fatalis hora instaret, ullum indicium præbuit animi hæc ægre relinquentis, sed tanta tranquillitate ex hac vita excessit, quasi ad somnum se componeret, altero mane his rursus gavifura. Digna itaque hæc Matrona est, quæ in exemplum aliis proponatur, & cujus memoria sancta sit apud posteros.

Lucem illa adspexit in hac Musarum sede Die XIII. Novembr. Anni MDCC LVI. Patrem venerata est GEORGIUM HENRICUM Weidentopff, qui in Dynastiæ Limburgensis oppido, Ober-Sonthem, Anno MDCC XIX. natus, Pharmaceuticæ Rei se addixerat, dignus postmodum judicatus, cui Ampliff. Senatus Rostochiensis Pharmacopæam suam concrederent. Matrem vero exosculata est, AGNETAM Scharffenberg, Avum Paternum agnovit Virum Illustrem DN. JONAM Weidentopff, Consiliarii Intimi Dignitate apud Limburgenses conspicuum. Avia Paterna fuit MARTHA AGNESA

B

Frosch,

Froschlin', Filia Viri Consultiff. **CHRISTOPH. Froschel**, Consilia-
rii quondam Limburgensis Incltyti. Proavus Paternus **JONAS**
Weidenkopff, inter Illustres Camerae Imperialis Assessores locum obti-
nuit. Proavia Paterna, **ANNA PORTIA**, Filia Viri Consultiff. **JOH. POR-**
TII, Illustris hujus Judicii quondam Advocati. Abavum denique Pater-
num sibi vindicat **HIOBUM Weidenkopff**, Consiliarii Munere apud
Serenissimum Palatinum Bipontinum gaudentem, quem ob spectatam
toties fidem ac singularem dexteritatem tanti fecit Piae Memoriae Prin-
ceps, ut cum fata instarent, eum tutelae Illustrissimae Proles praeficeret.
Abavia Paterna **MARGARETHA Schlorin**, **BALTHASARIS**
Schlören Filia.

Ex Matre autem Avum habuit **BERNHARDUM Scharffen-**
berg, Civem hujus Urbis Primarium. Aviam Maternam **MARGA-**
RETAM Amandrians. Proavus Maternus ipsi existit Vir Magnus,
& Ampliff. Dn. **BERNHARDUS Scharffenberg**, Consul Rostochiensis
Dexterrimus. Proavia Materna, **AGNETA Beselin**,
Abavum Maternum numerat **BERNHARDUM Scharffenberg**,
Consulem apud Neo-Brandenburgenses Primarium. Abaviam Mater-
nam, **ANNAM Hillen**. Ex hac Illustri Profapia originem ducens
Nostra, a Charissimis Parentibus Ecclesiae coetui oblata, & Sacro Lava-
cro adpersa, Nomen **MARGARETAE AGNESAE** obtinuit, postmodum
ita educata, ne quid unquam admitteret hac Familia indignum. Pri-
maria tamen ipsorum cura fuit, ut pietatis vero cultu, qui initium Sapi-
entiae est, imbueretur, adeoque nihil intermiscere, quod animum ad altio-
ra formare, & a vanis hujus mundi illecebris arcere posset. Cum autem
nulla re magis iste invitetur ad pia exercitia, aut in laudabili hoc propo-
sito confirmetur, quam exemplo aliorum, & Christiano ipsorum com-
mercio; hinc cum ad *nubilem* aetatem delata, a Viro Summe Reverendo,
GOTHOFREDO WEISIO, Theologiae Doctore, Graecaeque Linguae tum
temporis in hac Alma Professore Celeberrimo, & ad Aedem Nicolai Ec-
clesiaste, in matrimonium expeteretur, Parentes ipsius eo lubentius huic
desiderio aures praebere, quo magis illud suae responderet intentioni.
Ut enim navis facilius Syrtes & naufragii pericula evitat, quae Clavo
affidentem labet Gubernatorem peritum; & ovis haud aequae experitur
rapaces Lupi unguis, cujus singularem curam habet Pastor fidelis; sic Ani-
mae jactura non facile metuenda, quae Vigilantissimo pariter, ac Cordato
Animarum Custodi conceditur, imprimis si eam sibi vindicatam velit,
& praeter ceteris habeat commendatam. Itaque Anno **CIO DCLXXXV**. huic
nupta, eo magis concors cum ipso aluit matrimonium, quo magis animo
ac moribus responderet vitae generi, quod marito incumberebat; id est, ut
sincera pietate, constanti mansuetudine, ac humilitate, omnibus prae-
ret exemplo. Utrique eadem voluntas, eadem vota: Hinc cum post-
modum a Lunenburgensibus avocaretur **WEISSIUS** noster, aequo ani-
mo eum secuta est, & patriam ac agnatos deseruit. XIII. Annis dura-
verat haec felicitas, & amicabile thori ac animorum confortium, cum
Summo Numini placeret Virum, de Ecclesia optime meritum, praema-
turo exitu, aetatis nimirum Anno nono & trigesimo, aerae Christianae
autem **CIO DC XCVII**. ad caelestes translocare sedes, & Nostram in tristi
Viduitatis statu relinquere; quem tamen mira constantia ac animi for-
titudine pertulit, Novem & Viginti annorum superstes, suis solatium,
victum

viſtum, Sollicitam denique educationem, qua nihil pretioſius liberis tribui poteſt, præſtitit, & felici auſu perfecit, ut grata adhuc mente, qui ex ſœcundo iſto Conjugio ſuperſunt, teſtantur.

Septem liberorum mater, Sexies Weiſium ſuum lætiſſimum fecerat Parentem, ſeptima Sobole poſt mortem Mariti demum in lucem editâ. Ordine autem ſe exceperet

I.) CATHARINA AGNETA, II.) GEORGIUS FRIDERICUS, III.) GOTHOFREDUS, IV.) ANNA MARGARETHA, V.) JOHANNES HENRICUS, VI.) LUDOLPHUS FRIDERICUS & VII.) Poſthumus: ex quibus tamen non niſi tres ſuperſunt.

Ima.) CATHARINA AGNETA, Viro Prænobiliffimo ac Conſultiffimo Dno. OERTHLINGIO, Sereniſſimi Ducis Regnantis Megapolitani Conſiliario Juſtitia Graviffimo, nupta eſt; ex quo conjugio Beata noſtra defuncta octo chariffima pignora, neptes, nepotesque ſuſcepit, & quidem

1.) CATHARINAM MARGARETHAM, CAROLO JOACHIMO SIBETH, Philoſophiæ Magiſtro, ac Eccleſiæ apud Sundenſes Miniſtro, matrimonio junctam.

2.) MAGDALENAM SARAM, 3.) MARIAM SOPHIAM, 4.) SAMUELEM GOTHOFREDUM, 5.) JOHANNEM FRIDERICUM, 6.) GEORGIUM FRIDERICUM, 7.) CAROLUM LEOPOLDUM, 8.) DOROTHEAM ELISABETHAM.

Vtus) JOHANNES HENRICUS, J. U. Candidatus, & Aulæ ac Conſiſtorii Advocatus Celeberrimus. ac denique

Vitus) LUDOLPHUS FRIDERICUS, S. S. Theol. Candidatus, & Philoſophiæ Magiſter Fulgidiffimus.

Cæterum Noſtra Beatè Defuncta, poſtquam Maritus diem obiit rat ſupremum, de educatione ſuorum ſollicita, domicilium Lubecam tranſtulit, ut amicitia, auxilio, & conſiliis fruereſtur Viri Conſultiffimi, ac Ampliffimi, Dni JOHANNIS ALBRECHTI WEISII, J. U. Licentiat; in quo, utpote demortui fratre germano, omnem ſpem colloca- verat, ut proli, cui ex animo bene cupiebat, eo melius iret conſultum. Nec defuit votis fortuna, ſiquidem prælaudatus Vir, ac ipſius conjux, generoſæ indolis Matrona, ſpem Defunctæ Noſtræ non tantum adimple- runt, ſed etiam ſuperarunt abunde: nam ut iſtam ſororis inſtar ample- xi ſunt, ſic liberos ejus, tanquam ſuam progeniem, ſuſcipere, & omni- bus beneficiorum generibus afficere, ac fortunæ ipſorum quovis mo- do promovere ſunt annifi. Quam ſingularem benevolentiam, ut grato animo agnoſcunt ex hac familia ſuperſtites, ſic nunquam deerunt, eam ex merito deprædicare.

Quamvis autem non parum ſolatii trifti familiæ acceſſerit, ex grato hocce, ac amoris pleno conſortio, non tamen Vidua noſtra im- munis fuit ab aliis ærumnis, quæ animi tranquillitatem turbare potuiſ- ſent, niſi heroica plane conſtantia, & fide in ſuum Salvatorem, ſe con- tra omnes inſultus, & fortunæ injurias firmaveſſet. Præterquam enim quod tribus vicibus filiorum funera efferre coacta ſit, etiam capitis ac calculi doloribus frequenter fuit infeſtata. Interim hiſce omnibus ſu- perior, ætatem ad annum ſeptuageſimum perduxit, conſtanti virium robore ad vitæ uſque finem: nam pridie, ſalva adhuc ac vegeta, amicos inviſit; prout id pluribus refert, qui curam ejus habuit, Vir Præ- No- biliffimus, ac Experientiffimus, CAROLUS SIBETH, Med. Doct. & Practicus Lubecenſis Famigeratiſſimus, cujus relationem, qualem eam

huc transmissit, ut curiositati Lectoris eo melius satisfiat, pro consuetudine nostra hic subjungimus.

Prænobilissima, omnibusque sequiorem sexum condecorantibus virtutibus locupletata, Domina MARGARETHA AGNESA WEISSEN, Viri Summè Reverendi, Excellentissimique Dn. Doctoris GOTHOFREDI WEISSEN, Ecclesie Luneburgensis Fidelissimi quondam, Vigilantissimique Superintendentis relicta Vidua, bonâ fruens valetudine, Vto ante nonas Decembris, erat dies Martis, matutino tempore, vicinam quandam visitando, infusum Herbe Theæ sorbillavit, & post regressum, domi non minus bene se habuit. Post prandium autem assumptum, & præprimis circa vesperam Syncope Beatæ nostræ periculum minatur vitæ, & licet huncce, vires, turdo quamvis gradu, & quodam tantum modo, collectæ profligarunt metum; cui accessit spes mox recuperanda sanitatis, ex somno bono desumpta, qui noctu denud vires restaurare firmioresque reddere visus fuit: altero tamen die, IVto nempe ante nonas, multos, humborum circa regionem, passa fuit cruciatus, cum sepius vomendi conatibus, ipsisque vomitibus; sed hæc symptomata pro Calculo, sicuti morbo suo ordinario, habendo, ad quem propellendum, nunquam ulla gravioris momenti remedia usurpari consueverunt, omnem medicam hucusque denegavit opem. Interim circa vesperam cum doloribus, ceterisque concomitantibus symptomatibus plane cessantibus, vires plenarie sensim sensimque deficere coeperunt, quibus subsequens nox insomnis majores adhuc struxit insidias; unde hæc accidentibus dubia jamjam reddita de bono hujus morbi eventu, IIIto ante nonas, Mensis jam dicti & quidem hora matutina quinta, consilium meum flagrantissime cupit. Cui desiderio eò citius adimplendo statim accessi, inveniens Ergram laborantem viribus plenarie exhaustis, pulsus erat tardus, inequalis ac debilis, sitis insatiabilis, facies livida, mox rubro, mox albo colore interspersa, alvus adstricta, Urinæ plenaria suppressio, manus mox calentes, mox frigescentes sentiebantur, præcordiorum maxima aderat anxietas, respiratio difficillima, stertorosa, & aër quasi ex profunda cavitate exspirari videbatur; dolores nulla præbebant vestigia, tussis sicca interdum concutiebat corpus; ceterorum malorum, quæ mihi, in totum morbi hujus progressum inquirenti, adstantes retulerunt, in antecedentibus jam facta est mentio. Ex hæc circumstantiis itaque, ritè perpensis, statim collegi, morbum hunc verum Asthma convulsivum esse, indigitans, catarrhum suffocativum ante portas latere, qui parvam relinquit spem restitutionis in integrum. Causam hujus mali agnovi subitanam frigoris invasionem, cum corpus prius potu infuse Herbe Theæ valde incaluisse; exinde enim non solum transpiratio insensibilis, sed & totus sanguinis circulus, omnesque secretiones & excretiones in corpore, non penitus auferuntur, haud leviter tamen turbantur: huic causa non minus auxiliatrices conciliavit manus ipsa senectus, (uti Hippocrates Sect. III. aph. 31. docet, inquiens: Senibus spirandi difficultates, catarrhi tussiculosi &c.) qua interdum sola, ut morbo, multi efflaminantur. Sicuti ergo morbus hic fortis vires Egrotæ nostræ penitus prostravit, sic & vires medicamentorum, quæ Ipsi propinavi, omnino respiciendo, hora post primum meum accessum quarta, vitæ prob dolor abripuit filum.

Cum his conveniunt, quæ de Beatæ excessu tradidit αὐτοπύης testis, Vir Sacri Ministerii Dignitate venerabilis Carstenius, qui curam animæ habuit, & ad ultimum usque halitum morienti adstitit: refert enim, tam subitanee vires concidisse, ut citius spe sua fuerit extincta; non tamen attonitam, non morbi gravitate, aut Symptomatum atrociam victam, sed placida potius analysi, animo constanti, inter præces & suspiria, Animam reddidisse. Hoc genus Mortis, ut eam adventantem vix percipiamus, hæc εὐθανασία, quæ tam cito nos ab omnibus miseriis ac cruciatibus exsolvat, omnibus bonis, omnibus vere Christianis optanda est, & apprecanda: nunquam enim inexpectata, nunquam infausto tempore obvenire potest illis, qui ipsi obviam ire consueverunt, eam toties pio voto provocarunt. Nihil nobis restat, quam dum ultimi honores hac vespera persolvuntur funeri, ut votis nostris piis Liberis mæstisque Cognatis in solatium accedamus; Memoriam vero Beatæ Defunctæ servemus in seros dies integram.

Dabam die XVIII. Decemb. An. MDCCXXVI.
sub Sigillo Rectorali.






Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



LBMV Schwerin 33
000 184 241





m. Romanorum Imperator, AUGUSTUS. *εὐφραδισίαν* sibi ac
 abatur, quoties audisset, aliquem cito vita defunctum: Qui
 respexerit potissimum ad circumstantias naturales, ac mole-
 morientes, & diutino morbo decumbentes, comitari solent,
 olum tamen adduci meretur, ut ab eo discamus, pio ac devoto
εὐφραδισίαν à Summo Numine precari: Est enim meditatio Mor-
 ouum incitamentum, quod nos ad veram Sapientiam ducit:
 gius Propheta DEum implorat, ut Animo nostro *memoriam*
is impressam servare velit, quo sapere discamus. Certe qui Mortis
 meditatur, & semper, quasi in statione paratus, eam ex-
 s non facile quicquam suscipiet aut aggredietur, quod rectæ
 conscientiæ, ac præceptis Divinis adversatur: Contra vero
 nunquam reminiscuntur, se morti propius accedere, sed ita
 stituunt, quasi nunquam morituri, ut necessario à recta Semi-
 a Sapientia aberrant, sic stolidi ac stulti in Sacra Scriptura vo-
 Cum enim natura sumus ad pravitatem proclives, Affe-
 yranidi eo magis obnoxii, quo magis ista sub specie grati
 ponit, hinc sola Mortis repræsentatio satis efficax est, ut ma-
 piscamus, & objicem ponamus nostris cupiditatibus, quæ nos
 devia ducunt. Mature itaque meditatio Mortis instituenda,
 ter, quotidie, ut mature desvescamus pravitati
 ere; ut quotidie, quasi emigraturi, cogitemus, quæ
 pedite peragendum relinquenda sint impedimenta,
 damno negligi nequeant. Nunquam imparatum
 a, sive ex improvise, sive lento pede accesserit, qui
 ere parat; nec ad ejus adventum trepidabit, qui-
 litatione sibi fecit familiarem. Hoc itaque est vere
 re discamus divitias, honores, famam, necessitudi-
 enique Liberos: hæc enim omnia relinquenda sunt
 o cœlestia dona præcipiunt: Aggravant hæc ani-
 uasi sub sarcinarum mole succumbat, nec in altum
 rit nobis in hac Sapientiæ parte, quam Salvator no-
 li tantopere commendant, WEISIA nostra, & ani-
 ita præparavit, ut omnia ista, quæ plerosque ho-
 s detinent, non tantum negligere, sed etiam conte-
 ac quamvis iis, quæ ad felicitatem mortalium facere
 familiari, liberis, ac cognatis, abunde gauderet, non
 hora instaret, ullum indicium præbuit animi hæc
 sed tanta tranquillitate ex hac vita excessit, quasi ad-
 ueret, altero mane his rursus gavisura. Digna ita-
 st, quæ in exemplum aliis proponatur, & cujus me-
 ad posteros.

aspexit in hac Musarum sede Die XIII. Novembr.
 Patrem venerata est GEORGIUM HENRICUM
 i in Dynastiæ Limburgensis oppido, Ober-Sontheim,
 atus, Pharmaceuticæ Rei se addixerat, dignus post-
 cui Ampliff. Senatus Rostochiensis Pharmacopæam
 t. Matrem vero exosculata est, AGNETAM
 Avum Paternum agnovit Virum Illustrem DN.
 Topff, Consilarii Intimi Dignitate apud Limbur-
 n. Avia Paterna fuit MARTHA AGNESA

B

Frosch,

